



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena**

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,  
doctrina excutitur, scripta recensentur

**Origenes**

**Rothomagi, 1668**

IV. & Numeros;

**urn:nbn:de:hbz:466:1-25059**

**A** & Genebrandus. Id probatur ex ipsius Prologo ad Vrsacium: *Nam & promississe me memini, ut si qua sint adamantis sensus in Legem Moysi dicta colligerem, atque ea Latino sermone nostris legenda transferrem: & deinde: Igitur ut possum qua innoxisti explicare contendo. Iam enim ex omnibus que in Lege scripta reperi, sola ut puto in Deuteronomio desunt oratiuncule.* Atqui Latine redditas habemus Homilias in quatuor priores libros Pentateuchi; quis ergo Rufinum Interpretem ausit infitari? Probat ipsum hoc Peroratio subiecta interpretationi Commentariorum Origenis in Epistolam ad Romanos, quam Rufino adscribendam esse suo loco docebimus: is in ea se Origenis Homilias in Genesim, Exodum, & Leviticum Latine convertisse scribit. Nulla itaque adhibenda est fides antiquo Codici Bibliothecæ Regiæ, in quo illa ipsa de qua agimus Homiliarum Origenis in Genesim interpretatio Hieronymo adscribitur. **B** Observe interim Lector, postremam Homiliam bona sui parte esse mutilatam; nam omnes Patriarcharum benedictiones pro instituto non persequitur, & solenni caret clausula, quam Homiliis suis omnibus Origenes imponere consuevit.

**II.** Commentariorum in Exodum laciniis aliquot vigesimo sexto Philocaliæ capiti Basilii & Gregorius intexerunt. Homilia vero duodecim Latina editione continentur. Nomen Interpretis adscriptum non est, sed ex Prologo Rufini ad Vrsacium, & ejusdem Peroratione ad interpretationem Commentariorum Origenis in Epistolam ad Romanos, quæ mox laudavimus, manifestum est non alium Interpretem quam Rufinum quæri debere: id quod vel ex ipsa stili similitudine statim deprehendas. Fallitur ergo Sixtus Senensis Hieronymo interpretationem hanc tribuens.

**C** **III.** Ad interpretationem Homiliarum Origenis sexdecim in Leviticum Rufino itidem adjudicandam, & arguendum Sixtum qui eam Hieronymo adscribit, valere eadem argumenta. Qualiter autem in interpretandis Homiliis illis, & quæ in Genesim, & quæ in Exodum habitæ sunt se gesserit Rufinus, id ipse declarat in Peroratione mox citata: *Fateor namque, Heracli frater amantissime, quod dum tuis desideriis satisfacere cupio, oblitus sum pene mandati quo precipitur: Dominus supra vires tuas ne levaveris: quavis nobis nec in cæteris quæ te insistente, imo potius pensum divini operis exigente, in Latinum vertimus, defuerit plurimus labor, dum supplere cupimus ea quæ ab Origene in auditorio Ecclesie ex tempore, non tam explanationis, quam adificationis intentione perorata sunt: sicut in Homiliis, sive in Oratiunculis in Genesim & in Exodum fecimus, & præcipue in his quæ in librum Levitici ab illo quidem perorandi stilo dictata, à nobis vero explanandi specte translata sunt. Quem laborem adimplendi quæ deerant idcirco suscepimus, ne pulsatae quæstiones & relicta, quod in Homiliatico dicendi genere ab illo sæpe fieri solet, Latino Lectori fastidium generarent.* Egregium scilicet Interpretem, de suo quidquid libitum est largientem. Hoc illi debemus tamen, quod legitimo suo auctori restituta sunt; quæ inter Cyrilli Opera falso venditabantur. Itaque Bellarminus, qui lib. 4. De verbo Dei, cap. 11. essentia Origenis definire non ausus fuerat, easdem in libro De scriptor. Eccles. absque hesitatione huic attribuit. Unde explodendus Hæretodoxus quidam, qui eas posuit nuper inter opera Origenis supposititia. Cæterum primum Philocaliæ caput fragmentum exhibet ex Homilia secunda in Leviticum, quæ quidem ab Homilia secunda Rufiniana collectionis plane diversa est. Decurtatam ea particula & mutilatam à Rufino Homiliam hanc opinati sunt quidam; sed multo **E** verisimilius est plures fuisse Homiliarum istarum collectiones, & in una quidem secundum tenuisse locum Homiliam illam, unde prodit Philocaliæ fragmentum quæ à Rufiniana collectione abstrahit. Homilias quidem in Numeros, quæ supersunt, à se collectas & digestas Rufinus ipse prædicat, ut mox dicemus. Homilia in Ieremiam ab Hieronymo Latine reddita, alio ordine in Editione Latina, quam in Codicibus Græcis collocata sunt; quod & alibi factum observabimus. Idem itaque Homiliis in Leviticum contigisse, & pro Interpretum, studioforumve libitu variis modis fuisse seledas, & ordinatas existimare proclive est.

**IV.** Ex Prologo quem præfixit Rufinus interpretationi suæ octo & viginti Homiliarum Origenis in Numeros, quæ ad hanc diem supersunt, & ex ipso etiam stilo intelligitur **F** vehementer eos fassi, quicunque alium Interpretem assignant quam Rufinum. *Quæcumque, inquit, in Numerorum libro, sive Homiliatico stilo, sive etiam ex his quæ Excerpta appellantur, scripta reperimus, hæc perorante te (Vrsacium alloquitur) Romana ut potuimus voce ex diversis in unum ordinem collecta digessimus.* Has nempe quas habemus Homilias undecunquæ collectas pro arbitrio suo in ordinem dispositis, simulque etiam Scholia ipsa permiscuit; quod Rufino Interprete dignum erat. Inanis itaque est Andrea Riveti Observatio, Auctorem Homiliarum istarum Latinum esse ex eo arguentis, quod Homil. 12. differentia notetur inter, *exciderit, & excidit*: quæ Rufini Interpretis munificentia accepta referenda sunt. Oratiunculas vero in Deuteronomium quominus Latine exposuerit, quemadmodum animo destinaverat, mors impedimento fuit.

**V.** Homilias Origenis in Iosue sex & viginti Latina nobis exhibet Editio. Hieronymo h h iij